



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. 1. De matrimonio legitimo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

quæ inter ascendentes, & descendentes: *Interdictæ*, quæ ineuntur ab his, qui lege civili prohibebantur, quales erant Tutoris cum pupilla, Senatoris cum Liberta: *Secundæ*, quæ sequuntur primas &c. Cæterum nuptiarum appellatione solum continentur primæ; sic ille. Ex his porro agemus hic de illis tantum speciebus, seu membris matrimonium dividendis, quæ hujus fori, ac loci sunt.

## §. 1.

## De matrimonio legitimo.

441. Matrimonium legitimum est, quod legitimo contrahentium consensu initur, nimirum juxta legalem constitutionem, vel mores provinciarum, ut not. S. Aug. relatus post c. *fm. 28. q. 1.* & hoc sensu intelligitur, quando in c. *quantò. 7. de divort.* dicitur: *matrimonium verum inter infideles*, existere. Hoc matrimonium ex institutione auctoris naturæ, jure divino positivo, esse insolubile voluntate, & arbitrio ipsorum conjugum dicitur in c. *Unico. de vot. in 6. ibi: ab ipso Ecclesie capite, rerum omnium conditore, in Paradiso constitutum, indissolubilitatem accepit*, quod etiam habetur in Trid. *Sess. 24. c. 1. ibi: matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit.* Ex quo sequitur, esse dictum matrimonium jure divino indissolubilitatem habeat; solvi tamen posse dispensatione, vel permissione divinâ. Nam ante legem Evangelicam Judæi per libellum repudii, DEI permisso, poterant matrimonium etiam consummatum dissolvere, Deuteron. c. 24. & post legem Evangelicam, matrimonia infidelium, etiam consummata, dissolvi possunt uno ad fidem converso, altero remanente. c. 7. de divort.

442. Hinc quando S. Aug. relatus c. *si quis, 29. q. 1.* matrimonium infidelium negaturum esse ex eo, quia non est firmum, & inviolabile conjugium eorum; cum liceat dato repudii libello recedere ab invicem, & aliis copulari, debet intelligi, ut ipse notat, quantum est de lege fori; non, lege poli, nimirum spectatâ legali constitutione, non autem divinâ institutione. Et ideo glossa ibi; V. *dato*, rectè ait, in

Tom. IV.

veritate per dationem libelli matrimonium infidelium non dissolvebatur, cum divinâ institutione perpetuitatem habere debeat, prout distinguitur contra solubilitatem ex voluntate conjugum, ut dictum est, ex c. *Unico*, & Trid. supra cit. Unde sequitur, legitima matrimonia infidelium non esse indissolubilia jure naturæ, sed tantum positivo divino, ut constat ex dict. c. *Unico*.

## §. 2.

## De matrimonio rato.

Matrimonium ratum dicitur, quando est Sacramentum, nondum tamen carnali copulâ consummatum. Et ideo, licet matrimonium infidelium sit legitimum, non tamen est Ratum, quia non est Sacramentum, ut dicitur in c. *Quantò, de divort.* quia Sacramentum, contractum elevans, matrimonium ratificat, ut notat Pereyra cit. n. 1671. licet Castrop. P. 2. D. 5. de spons. p. 1. n. 4. censent, propterea Ratum dici, quia inter fideles signatur Sacramento fidei, nimirum baptismo. Præter indissolubilitatem, quam habet, in quantum est legitimum ex institutione auctoris naturæ, secundum dicta n. 441. habet etiam indissolubilitatem ex significatione Sacramentali, in quantum scilicet, teste Pereyra cit. significat, unionem Christi cum anima existenti in gratia, non solubilem nisi per peccatum grave; his præmissis.

443. Quæstio est, an matrimonium infidelium, ratum tantum, solvatur securâ solenni professione in Religione approbata? Resp. de hac quæstione agi in Trid. *Sess. 24. de Reform. can. 6. ibi: si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Hæc intellige, de professione Religiosa, quæ verum religiosum solenniter professum constituit. Quare per emissionem votorum, quibus nec solennis professio constat, nec votens verus religiosus constituitur, non solvitur matrimonium ratum tantum, ut const. ex cit. Extravag. *Antiqua. Castropal. D. 3. p. §. 4. n. 1.*

444. Sed difficultas est, quo jure professio solennis hanc vim habeat, ut superveniens matrimonio rato, & non consummato,

P 2

mato,